

No. CCCXII.

A: et Ω.

OBSERVATIONES PHILOLOGICAS

De

BAPTISMO

PRO MORTVIS

ex 1 Corinth. Cap. XV, 29.

Publicae *συμφιλολογέντων* censurae

ad d. XXIII. Dec. A. cId Idcc IV.

in

AVDITORIO PHILOSOPHORVM

PRAESIDE

GOTTFR. OLEARIO, P. P.

fistet

CHRISTIANVS HENRICVS BOSSECK,
Gaudio-Misn.

LIPSIAE,
LITERIS GOEZIANIS.

EXCELLENTISSIMO
ET INSIGNIBVS IN REMPVBLICAM MERITIS
CELEBERRIMO VIRO,
DOMINO,
HENRICO BORNIO,
IVRISCONSVLTO,
CVRIAE SVPREMAE PROVINCIALIS,
QVAE LIPSIAE EST, ET SCABINATVS ELECTORALIS
IBIDEM ASSESSORI GRAVISSIMO, AMPLISSIMI SE-
NATVS IN VRBE PATRIA PROCONSVLI
LONGE SPECTATISSIMO,

PATRONO, SVSCEPTORI AC
EVERGETAE SVO
PIE COLENDO,

HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SVORVM SPECIMEN
ET SEMETIPSVM
SVBMISSE OFFERT,
SIMVLQVE

VITAM LONGAEVAM AC FELICEM
DEVOTISSIME EX ANIMO
APPRECATVR

CHRISTIANVS HENRICVS BOSSECK.



1. Cor. XV, comm. 29.

Ἐπεὶ τὶ ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν,
εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται τὶ καὶ βαπτίζονται ὑ-
πὲρ τῶν νεκρῶν ;

§. I.



E Baptismo pro mortuis quo minus aliquid com-
mentari & nos auderemus, facile persuadere
nobis debebat, quod hoc nostro aevo maximo-
rum in omnibus partibus, in quas in Europa
divisa religio est, Virorum diligentiam istud
argumentum occupauerit. Isto enim omnino

labore supersedere posse poteramus videri, postquam non nimis
longo temporis interuallo ex Lutheranis viri nostra laude maio-
res Seb. Schmidius, Henricus Mullerus, & Abrahamus Calo-
vius: ex Genevensi reformationem secutis Ioh. Verderius Theo-
logus Montalbanensis, Io. Cloppenburgius, Jo. Frid. Spanhemi-
us & Io. Marckius, ex Romanae denique Ecclesiae Theologis Io-
annes Harduinus peculiaribus Dissertationibus illo cum laude fue-
re defuncti. Nubem enim scriptorum de illo argumento reli-
quorum in istis Dissertationibus copiose allegatorum hic comme-
morare nihil attinet. Nec inuiti certe patimur, ut, si cui actum
nos agere nunc videatur, utcunque libuerit de hisce schedis no-
stris ille statuatur. Nos apud aequos iudices non nihil tamen pe-
nitus egisse videbimur; quibus id propositum hic est, ut sup-
pleamus ea, quae a viris modo laudatis copiose atque erudite di-
gesta fuere: Cumque a nemine eorum hucusque fuerint exami-
nata, vel examinari etiam potuerint, quae olim a Valentinianorum
nonnullis & nuperrime ab Henrico Hammondo, Ioanneque Har-
duino & Ioanne Clerico prolata fuere, nec ea, quae ad pingendam
senten-

sententiam obsoletam quidem, de nouo tamen attulere Io. Mar-
 kius & Samuel Porzipcovius, ea vt paulo diligentius ad ingenuae
 Critices lancem expendamus: tum denique vt eam, quæ veris-
 sima nobis videtur & simplicissima de baptismo pro mortuis sen-
 tentiam, si fieri possit, nouis quibusdam obseruationibus mage
 confirmatam reddamus. Quamuis enim haut pauca alia quo-
 que circa doctissimorum virorum in hoc argumento nauatam o-
 peram sese monenda offerrent, cum tamen sine taediosa mul-
 tarum rerum vel centies dictarum repetitione ea ordine digerere
 & luculenter exponere hautquaquam liceret, præterire ea visum
 mage consultum, quam nimis audacter patientiae Lectorum pe-
 riculum facere.

§. II. Facile autem consentimus cum Harduino in omnes
 illas interpretationis Leges, quas ob oculos habendas in loci apo-
 stolici, de quo agimus, interpretatione esse jure meritoque existi-
 mat. I. non esse abs sensu natiuo & maxime proprio vocum abscen-
 dendum, vbi inprimis extra verborum sensum translatum expo-
 ni omnia commode possunt & explanari. II. Eam unice probandam
 esse loci cujusuis noui fœderis interpretationem, quae sit non la-
 tinae modo lectioni, sed & graeco fonti consentiens. Atque id
 ita quidem, vt ne vim vllam verbis afferre videatur. III. Baptismi
 nomine, qui propter mortuos suscipitur, non intellexisse Paulum
 ritum aliquem inanis ac vanae religionis, cum verosimile non sit
 ex tam leui causa, & ex insano amentium ritu ducere argumen-
 tum eum voluisse, ad quod cuius in promptu esset responsio, de-
 lirare homines eum vsurpantes, erroremque cumulare errore:
 nec facile credi queat, sine castigatione Paulum dimisisse errorem,
 cum leuiora errata seuerè reprehendere soleat. IV. Græca locu-
 tione ὑπὲρ τῶν νεκρῶν non omnes omnino mortuos, sed certos
 aliquos nominatim designari. Quod jam olim hic inculcandum
 vir magnus Iosephus Scaliger existimauit, qui Baptismum ὑπὲρ
 τῶν νεκρῶν & ὑπὲρ νεκρῶν non minus differe disputat quam ἀνά-
 σασιν τῶν νεκρῶν, qualis sit filiae Iairi et Lazari, et ἀνάσασιν νε-
 κρῶν quae sit omnium vniuersim. Et certe firmare hoc oppido lu-
 culenter videtur, quod postea sine articulo legitur εἰ ὅλως νεκροὶ
 82

Ep. 136. ad
 Rich. Thom-
 sonum,

ἐκ ἐγείρονται, si omnino mortui non resurgunt. V. Ne si quid vetusti moris hic aut dogmatis a Paulo designari dicatur id pari iure inficiari liceat quo affirmatur, tum certis istud documentis comprobetur, et vestigium aliquod priscae consuetudinis demonstretur in sequente aevo. Quibus regulis omnibus addere liceat illas praeterea, quas nec Harduinus nec alius quicumque Philologorum facile in dubium vocauerit: et quas non minus quam ceteras istas, ad solidum de Apostoli sensu iudicium ferendum, afferre momenti quilibet facile perspexerit. Supposito nempe VI eo, quod de baptismo hic agatur, necesse esse, ut argumentum petatur ex eo, quod indoli naturae eius et institutioni proprium maxime sit atque conueniens. VII maximam vim esse demonstrandi sensum singularis alicuius ῥήσεως in totius orationis nexu atque coniunctione. Denique VIII eam sententiam reliquis omnibus merito esse anteponendam, quae saluis reliquis interpretationis regulis, maximum robur vimque concludendi maxime conspicuam argumento Apostoli conciliauerit.

§. III. Ista iam leges a Ioanne Harduino ex parte propositas, a sana ratione sancitas omnes et confirmatas, ob oculos habentes, ad examen sententiarum quarundam praetermissarum nos accingimus. Vix opus autem esse putamus, eas applicare turpissimo Valentinianorum commento, quod legimus in excerptis Theodoti Trapezuntii, vitae genere Coriarii. Cuius tamen mentionem quandoquidem nullam inuenimus apud eos, qui de hoc argumento commentati fuere, non malam paulo diligentiorum lectorum gratiam nos inituros speramus, si integrum locum ex illis excerptis cum versione nostra et qualicunque explicatione hic repetamus. Τὸ κατ' εἰκόνα Θεῶ ἐποίησεν αὐτὸς, ἄρσεν καὶ θήλυ ἐποίησεν αὐτὸς, τὴν προβολὴν τὴν ἀρίστην φασὶν οἱ βαλεντινιανοὶ τῆς σοφίας λέγεσθαι. ἀφ' ἧς τὰ μὲν ἀρρενικὰ ἢ ἐκλογὴ, τὰ τε θηλυκὰ ἢ κλησις καὶ τὰ μὲν ἀρρενικὰ ἀγγελικὰ καλεῖσιν, τὰ θηλυκὰ δὲ ἑαυτὸς, τὸ διαφέρον πνεῦμα. ἕτως καὶ ὅτι τῷ Ἀδάμ τὸ μὲν ἀρρενικὸν ἔμεινεν αὐτῷ, πᾶν δὲ τὸ θηλυκὸν σπέρμα ἄρα ἀπ' αὐτῶ ἕνα γέγονεν, ἀφ' ἧς αἱ θήλαια, ὡς ἀπ' ἐκείνων οἱ ἀρρενες. τὰ ἔν ἀρρενικὰ μετὰ τῶ λόγῳ συνετάλη, τὰ θηλυκὰ δὲ ἀπεν-
δρω-

δρωθέντα ἐνῶται τοῖς ἀγγέλοις καὶ εἰς πλήρωμα χωρεῖ. Διὰ
 τῆτο ἡ γυνὴ εἰς ἄνδρα μεταλίθεος λέγεται, καὶ ἡ ἐνταῦθα ἐκ-
 κλησία εἰς ἀγγέλους. Καὶ ὅταν εἴπῃ ὁ ἀπ' ἑσολος ἐπεὶ ἴ ποιήσασιν
 οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; ὑπὲρ ἡμῶν γάρ φησιν οἱ ἀγγε-
 λοι ἐβαπτίσαντο, ὧν ἐσμὲν μέρη. νεκροὶ δὲ ἡμεῖς, οἱ νεκρωθέντες
 τῇ συστάσει ταύτῃ ζῶντες δὲ καὶ ἄρρενες οἱ μὴ μελαβόντες τῆς
 συστάσεως ταύτης εἰ νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται τί καὶ βαπτίζομεθα
 (lego βαπτίζονται;) ἐγειρόμεθα ἔν ἡμεῖς, ἰσάγγελοι τοῖς ἄρρε-
 σιν ἀποκατασθέντες, τοῖς μέλεσι τὰ μέλη εἰς ἔνωσιν. οἱ βα-
 πτίζομενοι δὲ φασιν ὑπὲρ ἡμῶν τῶν νεκρῶν, οἱ ἀγγελοι εἰσιν οἱ
 ὑπὲρ ἡμῶν βαπτίζομενοι, ἵνα ἔχοντες καὶ ἡμεῖς τὸ ὄνομα μὴ ἐπι-
 χεθῶμεν κωλυθέντες εἰς τὸ πλήρωμα παρελθεῖν τῷ ὄρω καὶ
 σαυρῶ. διὸ καὶ ἐν τῇ χειροθεσίᾳ λέγασιν ὅτι τέλος, εἰς λύ-
 τρωσιν ἀγγελικὴν, τρετέσιν ἢ καὶ ἀγγελοι ἔχασιν. ἰν' ἡ βεβα-
 πτισμένος ὁ τὴν λύτρωσιν κομισάμενος τῷ αὐτῷ ὀνόματι, ὡ καὶ
 ὁ ἀγγελος αὐτῷ προβεβάπτισα, ἐβαπτίσαντο δὲ ἐν ἀρχῇ οἱ ἀγ-
 γελοι ἐν λυτρώσει τῷ ὀνόματος τῷ ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἐν τῇ περιτε-
 ρᾷ κατελθόντος, καὶ λυτρωσαμένους αὐτὸν. H. e. *Quod dicitur
 ad imaginem Dei fecit eos, fecitque illos marem et foeminam, eo
 progeniem optimam dicunt Valentiniani sapientiae indicari, a
 qua masculinum genus est electio, foemininum vocatio. Et mascu-
 linum quidem genus vocant angelos, foemininum vero seipsos, qui
 sint diuersi generis spiritus. Sic etiam in Adamo quod masculinum
 erat remansit in ipso : Omne vero foemininum semen ab illo deri-
 vatum Euam constituit, a qua foeminae, sicut ab illo mares. Ma-
 sculum itaque genus vna missum est, ut λόγῳ siue verbo praesto
 esset. Foemininum vero postquam fuit exutum, angelis unitur, et in
 plenitudinem concedit. Propterea foemina in virum, Ecclesia ve-
 ro, quae hic est, in Angelos transferri dicitur. Et quando di-
 cit Apostolus : Inde quid facient qui baptizantur pro mortuis, pro
 nobis certe dicit angelos baptizari quorum pars sumus. Nos ve-
 ro mortui, qui ista conditione morti obnoxii facti sumus ; viuunt
 vero, et mares sunt, qui huius conditionis non facti fuere participes.
 Si mortui non resurgunt quid baptizantur ? Nos itaque resur-
 gimus restituti, ut simus aequales naturae angelicae maribus,*

καὶ τῶν

membris membra ad coniunctionem. Qui vero baptizantur, in-
 quiunt, pro nobis mortuis, angeli sunt baptizati pro nobis, ut et
 nos nomen habentes ne detineamur, quo minus in plenitudinem
 perueniamus, prohibiti termino et cruce. Hinc etiam quando ma-
 nus imponunt inter postrema inquit in redemptionem angelicam,
 hoc est quam et angeli habent. Ut ille, qui redemptionem accipit,
 baptizetur in idem nomen, in quod et angelus eius ante baptizatus
 fuit. Baptizati vero sunt in principio angeli in redemptionem no-
 minis, quod super Iesum in columba descendit ipsumque redemit. En-
 nugas Valentinianorum, et tenebras plusquam Cimmerias, quibus
 tamen ut lucem aliquam affundamus, systema istarum noctuarum,
 quantum instituto nostro satis, paucis ob oculos ex Irenaeo ponen-
 dum. Pleroma itaque apud eos, quod plenitudinem vertimus, e-
 rat spirituale istud triginta aeonum systema, in quo primus Aeon
 erat Bythus vel Propator, ex quo et Sige reliqui aeones, systema
 illud spirituale absolventes, geniti fuere omnes. Ultimus in Plero-
 mate Aeon erat Sophia. Ordines vero quasi aeonum in Plero-
 mate coegebat Ὁρος terminus, qui idem et σταυρός crux dicebatur, ut
 alia nunc taceamus eius nomina. Ille Sophiam in pleromate con-
 tinuit, a Propatore ἐν θυμῷ concupiscentia sua dilapsuram: Imo
 ipsam illam ἐν θυμῷ cum adhaerente ei πάθει affectu a σο-
 φία divulsum extra Pleroma constituit. Haec ἐν θυμῷ, ipsa
 quoque Sophia dicta et Achamoth, reliquis omnibus rebus extra
 πλήρωμα originem dedit, diuersis, prout illa πάθει modi-
 ficaretur diuersae: inter alia ἐν θυμῷ conuersione et timore suo
 angelos produxit, ipsos quoque extra πλήρωμα et animas πνευ-
 ματικὰς ad foemineam propius accedentes indolem, quas ecclesiam
 vocant. Spirituales vero animas istas in consummatione mundi
 una cum matre sua ἐν θυμῷ τῆς σοφίας, quae et ipsa Sophia
 dicitur, in pleroma, quo exclusi hucusque fuerant ab ἔρω, re-
 cipiendos esse: ipsamque quidem ἐν θυμῷ cum saluatore: a-
 nimas vero spirituales cum angelis Saluatoris ὁμογενέσι, qui nun-
 quam extra πλήρωμα fuere, tanquam sponsas cum sponis suis esse
 coniungendas. In hoc systemate id diuersum inuenio a systema-
 te Valentinianorum Theodoti, quod hi angelos cum quibus ani-
 mac iungendae sunt σοφίας, (quae nulla alia intelligi potest quam
 ἐν-

Iren. L. 1. c. 1.
 P. 9.

ib. §. 7. 9. 10.

T. i. p. 363.

ἐνθυμητις pleromate exclusa,) προβολήν esse dicant, secus vero illi, qui angelos Salvatoris, nec ab ἐνθυμήσει natos nec pleromate unquam exclusos, ut qui sint συγγενεῖς saluatoris, intelligunt. Nisi dicendum sit, cum Irenaeus rem luculenter haut edisserat, angelos illos Salvatoris quoque extra πλήρωμα fuisse primum a Sophia progenitos, inde in consummatione rerum omnium cum Salvatore iunctos, eique additos comites, atque tum animabus fuisse desponsatos: quae manifesta Valentinianorum Theodoti est doctrina: qua ratione vox συγγενεῖς apud Irenaeum non συγγενεῖαν significaret angelorum Salvatoris cum Salvatore, sed inter se inuicem, ut errasse oporteat Athanasium, qui in oratione II contra Arianos priori modo, quod dixere Valentiniani, accepit. Iam vero istis praesuppositis manifestus est primo significatus vocis κλήσεως vocatiōnis qui tribuitur τῷ Θελοκῶ h. e. foemineo animarum sexui. Scilicet idem est, quod ἐκκλησία, quod nomen apud Theodotum diserte inferius foemineo animarum sexui tribuitur: ἐκλογῆς electiōnis nomine reseruato masculino angelorum sexui, ut nobiliori. Nempe κλήσις idem est, quod κεκλημένοι vocati, qui Ecclesiam constituunt, et ἐκλογῆ idem quod ἐκλελεγμένοι electi, sicut περιτομή idem est quod περιτμητοὶ circumcisi, et ἀκροβυστία idem quod ἀκρόβυσοι siue incircumcisi. Quod vero apud Theodotum est τὰ ἐν ἀρρενικὰ μετὰ τῆς λόγου συνεσάλη, masculinum igitur genus una missum est, ut Verbo praesto esset, manifeste explicant Irenaei ista, quibus δορυφόρος δὲ τῆς λόγου ὁμογενεῖς ἀγγέλους προβεβλήσθαι dicit: satis enim apte vox συνεσάλη ministerium angelorum quod sit uniforme, notat, ab Irenaeo δορυφόρων συγγενῶν, satellitum eiusdem generis nomine expressum. Quae sequuntur apud Theodotum τὰ Θελοκὰ δὲ ἀπενδρωθέντα ἐνῆται τοῖς ἀγγέλοις καὶ εἰς πλήρωμα χωρεῖ. foemineum vero postquam fuit exutum, angelis vnitur, et in plenitudinem concedit. Optime explicant ista Irenaei: τῆς δὲ πνευματικῆς ἀποδυσάμενης τὰς ψυχὰς, καὶ πνεύματα νοερὰ γενόμενης, ἀρατήτως καὶ ἀοράτως ἐντὸς πληρώματος εἰσελθέντας νύμφας ἀποδοθήσεσθαι τοῖς περὶ τὸν σωτήρα ἀγγέλοις: quod ita vertit vetus Interpres: Spirituales vero exspoliatas animas (vel potius

potius id, quod stylo Pauli Apostoli ψυχικόν, animale est) et spirituales factos, inapprehensibiliter et inuisibiliter intra pleroma ingressos, desponsari iis, qui circa saluatorem sunt, angelis. Certe enim quod Irenaeo sunt πνευματικοὶ ἀποδυσάμενοι τὰς ψυχὰς, hoc sunt Theodoto τὰ θελυκὰ ἀπενδρωθέντα. Videtur enim facta vox ἀπενδρωθέντα ab ἐνδρατα vel ἐνδόθρας, quorum vtrumque habet Hesychius. ἐνδρατα dicit esse τὰ ἐκδερόμενα excoriata, ἐνδόθρας τὰς ἀποκοπὰς τῶν νεοθόρων δερμάτων recisamentum pellium recens detractarum. Eruntque adeo τὰ θελυκὰ ἀπενδρωθέντα genus foemineum, hoc est animae, pellibus quasi spoliatae, crassiori scilicet illo indumento, quod τὸ ψυχικόν et ψυχὴ dici assolet. Quae vero de baptismo angelorum ad explicandum baptismum pro mortuis subiunguntur, ea fateor nusquam mihi sese obtulisse alias. Sensus perspicuus est, baptizatos scilicet angelos esse, ut et nos habentes nomen in pleroma ingredi possimus: eos vero tanquam viuos pro mortuis esse baptizatos. In phrasi tantum nomen habere obscuritas. Videtur itaque eo spectare, quod baptizemur εἰς ὄνομα in nomen, unde etiam apud Valentinianos frequens in omnibus Baptismi formulis, quarum multas recenset Irenaeus, nominis mentio. Quae autem ad firmanda illa, quae de baptismo angelico dicta fuerant afferuntur: ideo scilicet in χειροθεσία h. e. *manuum impositione* in baptismo, postremo haberi verba εἰς λύτρωσιν ἀγγελικὴν; ea clarissimam rursus lucem accipiunt ex Irenaeo, ubi integra formula. En illam: τὸ ὄνομα τὸ ἀποκεκρυμμένον ὑπὸ πάσης θεότητος καὶ κυριότητος καὶ ἀληθείας ὃ ἐνεδύσατο Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ἐν ταῖς ζωαῖς τῆ φωτὸς τῆ χειρῶν, χειρῶν ζῶντος διὰ πνεύματος ἁγίου, εἰς λύτρωσιν ἀγγελικὴν. *Nomen, quod absconditum est a universa Deitate, et dominatione, et veritate, quod induit Iesus Nazarenus in Zois luminis Christi, Christi viventis per Spiritum S. in redemptionem angelicam.* Hicque adeo formulam hanc finem habere, nec spectare ad eam quae apud Irenaeum postea sequuntur, recte animadvertit clarissimus Rhenferdus in Dissertatione de redemptione Marciorum et Heracleonitarum, quem secutus et doctissimus Irenaei editor Io. Ern. Gradius fuit. Manifeste profecto hoc Theodotus innuit verbis

L. I. c. 18. §. 2.

I. e.

§. 35.

B

λέγουσιν

λέγουσιν Ἐπὶ τέλος, *sub finem dicunt*. In eo vero clarissimo Rhenferdio assentire non possum, quod mox sequentia verba novam formulam existimat esse, quae mihi videntur tantum appendix prioris. Nempe antea dixerat Irenaeus formulis huiusmodi ἑβραϊκά Ἐπιλέγειν ὀνόματα, *Hebraeas subiungere voces istos homines*. Illae itaque voces sunt, quas subiungit, eisque titulum ὀνόματα τῆς ἀποκαταστάσεως: *nomina quae in restitutione per baptismum usurpantur, praefixit*: et post quoque addit ea ἐπιλέγειν *subiungere prioribus istos Haereticos*. Haec ipsa autem formula dicebatur λύτρωσις et ἀπολύτρωσις teste Irenaeo, qua de re docte Cl. Rhenferdus: vnde lucem accipiunt Theodoti nostri verba ἢ βεβαπτισμένος ὁ γὴν λύτρωσιν κομισάμενος, etc. hoc est *ut ille qui accipit λύτρωσιν, i.e. super quo recitatur haec formula, baptizetur in idem nomen, in quod baptizatus est angelus ejus*. Verum satis de istis. Explodere istam explicationem Baptismi pro mortuis nihil opus, cum sola regula, quam quinto loco proposuimus, vno eam ictu penitus prostrernere valeat.

§. IV. Ut ad eas igitur examinandas progrediamur sententias, de quibus nobis potissimum agere constitutum est, primus prodeat Henricus Hammondus, qui verba Pauli τί ἐν ποιήσασι τοῖς βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, de quibus sermo est, ita παραφρασεύει: *Ab iis, qui inter vos negant resurrectionem mortuorum, hoc unum quaesivero: quare ergo in baptismo professi sint se haec credere, cum sit certum, resurrectionem mortuorum (quae brevitatis causa exprimitur hic voce mortui) esse ex potissimis fidei capitibus, in quae baptizati fuerunt. Quare hi homines in baptismo professi sunt hoc fidei Christianae Caput a se credi, si non credebant? Baptizari instar Christiani, nec credere resurrectionem, est res absurda, et dissimulatio, quam nunquam nec Deo nec hominibus probabunt*. Istam paraphrasin suam illustraturus firmaturusque, sequentia in notis subiungit: *Quae in Paraphrasi a nobis allata est huius loci interpretatio, ea est omnium expeditissima, quae ὑπὲρ vertitur ad ut Hebraicum על. Nam vox νεκρῶν est veluti inscriptio maximi momenti capituli in symbolo de resurrectione mortuorum. Sic apud Iudaeos על עבודה זרה est ad cultum peregrini-*

gri-

grinum denotatque id praeceptum, quo Adamidae vel Neachidae colere vetiti sunt peregrinos Deos. Sic על ברכת השם ad benedictionem nominis est praeceptum quo iussi sunt colere verum Deum. Similiter inscriptiones Constitutionum in unum aut duo verba contrahi solent. Hanc in rem digna sunt quae afferantur verba doctissimi Viri Ios. Scaligeri ex cap. IX elenchi Tribaeresii Sevriani. Non solum Rabbini sed et Doctores Latini notissimas et vulgo tritissimas sententias dimidiatas solent citare. Ita etiam proverbia apud omnes nationes aliquando inchoata preferuntur. Exemplum profert δῶρον ex Matth. XV, 5. Sic Suidas utitur proverbio ἀπὸ καταδυομένης ἢ submersa pro integro ἀπὸ καταδυομένης ὅτι ἂν λάβῃς κέρδος, ex demersa naui quicquid ceperis, lucrum est.

§. V. Haec vero Doctissimi Hammondi interpretatio manifeste repugnat regulis a nobis propositis secundo et quinto loco, quae vllam vim verbis inferre prohibent, nec quicquam moris veteris supponi volunt, quod vsu receptum fuisse luculenter probari nequeat. Certe in vtramque impingit, dum allegationem in iis quaerit, quam nunquam reddere possunt. Primo enim hoc quidem viro doctissimo manu largimur vtraque, non infrequens esse, vel titulum legis alicuius constitutionisque aut etiam integri tractatus allegari a bonis scriptoribus, ex vno duobusque verbis contractum, quae ipsum corpus legis ingrediantur. Verum exemplo probari nullo poterit, verba illa alia esse quam quae vel argumentum libri significant, vel inchoent legem textumque allegatum, quod Ictis nostris est frequentissimum; quodque in proverbiis etiam allegandis observari solet, vt ipsa affatim probant ab Hammondo allegata exempla. Initiale vero verbum articuli, quo resurrectionem carnis in symbolo profitebantur Candidati, non certe erat νεκρῶν, sed potius ἀνάστασις; imo si ex hodierno symbolo Apostolico iudicium ferre liceat, ne mentio quidem νεκρῶν, sed σαρκὸς facta fuit, quam vocem ab initio ad evitandas aduersariorum strophas adhibitam fuisse docte ostendit nuperrimus autor Historiae Criticae Symboli Apostolici. Quamvis horum argumentorum vtrumq; contra eos tantum valeat, qui pri-

nis temporibus formulam illam confessionis de resurrectione obtinuisse admittunt. Contra eos vero, qui hoc non admittunt, alio telo utendum, quod paulo post suggeremus. Deinde hoc obseruandum etiam, quod ipsi Symboli Christiani articuli tituli fere tantum sint Christianae professionis; quorum rursus comminisci titulos quam absolum! Tertio ubi id, quod Hammondus cupit, significant Scriptores Graeci Romanique, simul vel legis, vel constitutionis, vel paragraphi mentionem faciunt, ac prima eius verba addunt, a quibus eam quasi denominant: ut adeo, si Paulo eorum exemplo loquendum fuisset, ita verba fuissent coniungenda *τί ποιήσασιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τῶν νεκρῶν*. Nec iuant Hammondum Hebraeis receptae allegationes *על עבודה זרה* et ceterae: Hic enim integri tractatus citantur, quorum titulus ille est, ut adeo dicatur *על עבודה זרה* in *Cultu peregrino* hoc est in tractatu nomen illud gerente obuium tale quid esse: quemadmodum nos v. gr. in Synagoga Iudaica Buxtorfium, vel in Antiquitatibus Iudaicis Iosephum tale quid habere dicimus: diuersa vero ratio eius, de quo nunc agitur. Certe tituli alicuius legem nunquam allegaret Ictus solis allegatis verbis legis initialibus. De eo etiam dubito, an Praepositio *ὑπὲρ* tum adhibenda fuerit, et non potius *ἐν*, si hoc dicere voluisset Apostolus *quid faciunt qui baptizantur professionem edentes articuli de mortuorum resurrectione? ὑπὲρ* enim notare quidem potest actionem vel passionem alicuius rei gratia susceptam, non vero coniunctionem aetuum, qualem hic notare debet ex Hammondi hypothese. Denique probari non potest Symbolum Apostolicum illa iam aetate iuxta omnes articulos, qui hodie illud constituunt, receptum iam fuisse, videnturque omnino initio simpliciter baptizati fuisse *οὗτοι* in professione Nominis Patris, Filii et Spiritus Sancti, reliqua explicationis loco diuersis temporibus, prout Ecclesiae ferrent necessitates, fuisse addita. Imo et id obseruandum, quod si articuli de resurrectione tum cum maxime baptismi Candidatis edenda fuerit confessio, nullam tamen constantem eius formulam obtinuisse, a cuius verbis initialibus titulus ille fieri potuisset.

§. VI. Sed et argumentum fateor oppido infirmum nexisset

Apo-

Apostolus pro mortuorum resurrectione, si ea, quam Hammondus illi affingit, eius fuisset sententia, atque adeo octavo loco a nobis proposita regula etiam conuellit. Quae enim quaeso argumenti vis? Baptismum suscipientes resurrectionem mortuorum estis professi: Ergo datur mortuorum resurrectio. Nihil magis promptum et expeditum, quam vel nexum et consequentiam negare in hoc argumento: ab errore enim in ista professione commisso ad rei veritatem argumentari non licere, atque τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, hoc est principii petitionem committi, dum scilicet supponatur, recte illam professionem factam esse. At inquit Hammondus, sic renunciandum fuisset Baptismo ab aduersariis Pauli, hoc vero nondum fecerant. Sed hic quoque regere licuisset illis: neququam vero quod in articulo de resurrectione corporum aliter nunc sentiant, ea propter baptismo esse renunciandum, se enim substantialia eius retinere, professionem nempe Patris et quem miserit Iesu Christi ac sancti Spiritus. Praeterea non resurrectionem se professos in baptismo eam, quam Paulus hic defendebat, sed illam, quam Hymenaeus docebant et Philetus; alique eius furfuris haeretici, qui resurrectionem, quae facta iam erat, profitebantur: neque adeo propterea quod in sententiam Pauli pedibus haut irent, baptismo statim esse renuntiandum.

§. VII. Quod vero doctissimus Vir Harmenopulum, Iannemque Chrosostomum et Theophylactum, eandem, quam ipse tuetur sententiam, defendisse putat, in eo certe ingenio magis quam veritati litat: mirumque neminem vnquam Virorum doctorum eam in Chrysofomo inprimis et Theophylacto perspexisse opinionem. Quin potius dicat quod res est, sibi que ipsi inventoris gloriam non derogat. Hoc quidem manu, quod dicitur, largimur vtraque, Patres allegatos in loco Pauli et ad fidem respexisse baptizandorum, et ad eam ab illis solitam fidei confessionem. Hoc enim ipsa verba eorum produunt luculenter; Harmenopuli quidem haut dubie: ille enim, postquam ex Chrysofomo Marcionitarum pro mortuis baptismum commemorasset, atque eos pro defendendo eo ad hunc ipsum Pauli locum provocare dixisset, ἀγνοῦντες addit ὡς διὰ τὸ ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ τῆς

de Sect. 6. XI.

Tom. III.
P. 514.

της των νεκρων αναστασεως, και επ' ελπίδι ταύτης της βαπτίζο-
 μένης βαπτίζεσθαι τῶν ἄνω σίηται, non intelligentes hoc a Paulo
 dicitur, quoniam baptizandi baptizantur in confessionem resur-
 rectionis mortuorum eiusque spem. Similiter Chrysostronus με-
 τὰ γὰρ τὸ ὁμολογῆσαι τῆτο (ὅτι πιστεύωμεν εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν)
 μετὰ τῶν ἄλλων τότε κατιέμεθα εἰς τὴν πηγὴν τῶν ἱερῶν νε-
 μάτων ἐκείνων. Τῆτο τοίνην ἀναμνηστικῶν ὁ παῦλος ἔλεγε, εἰ
 μή ἐστιν ἀνάστασις τί καὶ βαπτίζη ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, τῶν σώ-
 μάτων, καὶ γὰρ ὅτι τῆτα βαπτίζη τῶν νεκρῶν σώματος ἀνάστασις
 πιστεύων. Postquam confessi sumus hoc (quod credamus resur-
 rectionem mortuorum) cum aliis, demittimur in fontem sacrorum
 illorum fluentorum; eius cum in mentem veniret Paulo, dixit:
 quare etiam baptizaris pro mortuis, hoc est corporibus, in hoc e-
 nim baptizaris credens resurrectionem mortui corporis. Vbi ut
 dixi ad confessionem resurrectionis et fidem, in qua baptizamur,
 respicitur quidem, contortae vero Hammondii interpretationis,
 et confictae articuli de resurrectione mortuorum tituli allegatio-
 nis nec vola nec vestigium. Chrysostroni mens prout mihi ex
 verbis eius repraesentatur, illa est; Baptizandi confessionem fi-
 dei editis omnes de resurrectione mortuorum, et in eam bap-
 tizamini, hoc ipso quod corpora vestra sacro lauacro immerguntur.
 Atque eo Paulus quoque respicit inquiring, quid pro mortuis ba-
 ptizamini, hoc est quid corpora vestra, quae morti obnoxia sunt
 νεκρώσιμα vel νεκρῶν, sacro lauacro tingitis, si mortui non resur-
 gunt? nonne hoc ipso, quod sacra ista mysteria in corporibus ve-
 stris recipitis, corpora non interitura, nullo alias fructu tingenda,
 agnoscitis? Haec inquam manifeste Chrysostroni sententia,
 quam hic non examinamus, sed explicamus. Chrysostroni vero
 loco explicato nec Harmenopuli nec Theophylacti verbis opus
 est immorari, cum manifestum sit, non ob oculos habuisse tantum,
 verum et exscripsisse Chrysostronum eorum utrumque, quod et
 Oecumenium aliosque ex veteribus fecisse deprehendimus.

§. VIII. De Ioannis Harduini sententia simili iam ratione
 dispiciendum. Ille βαπτίζομένης ὑπὲρ τῶν νεκρῶν interpretatur
 Baptizatos occasione mortuorum, vel propter mortuos. Nempe
 eam vim esse ait vocis ὑπὲρ, ut non finem modo, sed et antece-
 dem.

dentem causam interdum denotet. Sic enim in Epistola ad Ephesios Paulus: *Audiens fidem vestram, quae est in Domino Iesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis: εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν* hoc est propter vos, propter illam vestram fidem dilectionemque, de qua audio. Et in posteriore ad Corinthios: *occasionem damus vobis gloriandi pro vobis ὑπὲρ ἡμῶν*, nostri causa propter nos, et alibi *pro huiusmodi gloriabor ὑπὲρ ἃ τοιαῦτα καυχῆσομαι*. His ita constitutis, anno eo, quo istam exaravit epistolam Apostolus, morbum inuasisse Corinthios ait, quo grassante diem plurimi supremum obiuerint. Ejus rei ipsam Paulum testem allegat, multos infirmos et imbecilles et dormientes in illa Ecclesia commemorantem in hac ipsa epistola, eiusque rei causam profanam corporis et sanguinis Domini usurpationem indicantem. Receptissimum vero in Ecclesia fuisse, ut temporibus huiusmodi mortiferis conuolarent ad baptismum cateruatim Iudaei, Pagani, Catechumeni, quod doceat luculenter Augustinus in sermone quarto eorum, quos Sirmondus edidit, et in libro de excidio urbis Romae, epistolaque CLXXX ad Honoratum. Eum itaque morem respexisse Paulum, dicereque leti ingruentis metu, τῷ φόβῳ τῶν νεκρῶν, vel quod eodem redeat *propter mortuos* siue occasione mortuorum ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, plurimos baptismi lauacrum ambire. Quo quidem studio prospicere sibi se in futurum significant: alteriusque vitae hoc sollicitius quaerant viaticum, quo minus restare viae videbatur. Quae inanis certe cura sit, si mortui non resurgant. Ut optime adeo procedat argumentatio Apostolica, quid faciunt, qui baptizantur occasione mortuorum, vel eo quod multi moriantur leti ingruentis metu, si mortui non resurgunt, nihilque adeo superest post hanc vitam metuendum, atque sperandum? Cui gemina plane Augustini sit argumentatio libro vicefimo de ciuitate Dei, qua mortuos ad regnum Christi pertinere demonstrat. *Neque enim, inquit, piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi: nec aliquid prodesset ad eius in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur haec vita.*

I, 15.

2. Cor. V, 12.

2. Cor. XII, 5.

c. IX.

§. IX.

§. IX. Circa hoc doctissimi Viri Systema id primo mo-
 aendum succurrit, quod vsum praepositionis ὑπὲρ suo instituto
 conuenientem parum probauerit solide; in illis enim locis, quae
 adduxit, omnibus vulgatissimum suum significatum obtinere illa
 rectissime dicetur, qua materiam, vel vt in scholis loquuntur *ob-*
iectum, circa quod actio aliqua passioe versatur, significat. Vbi
 vero praepositio ὑπὲρ potest explicari *propter* vel *alicuius rei cau-*
sa, id in huiusmodi fit phrasi, vbi de emolumento aliquo sermo
 est, construiturque tum praepositio cum genitiuo vel rei quae sit
 emolumento, vel personae cui emolumentum quaeritur. Ta-
 lia sunt, quando dicimur *συμβιβλέειν ὑπὲρ τινός, propter aliquem*
vel alicuius gratia, hoc est *eius commodi causa consultare, ὑπὲρ ἐνδο-*
ξίας τι ποιῆν gloriae acquirendae studio aliquid facere, vt alia
 eius generis innumera taceam. Simpliciter vero occasionem et
 causam qualemcunque notat quidem praepositio latina *propter*,
 et Graeca *διὰ* cum accusatiuo iuncta, de praepositione ὑπὲρ ex-
 empla allata minime me conuincunt. Sicque nondum obtinu-
 it Harduinus, vt suae sententiae conuenire videatur cum regula,
 quam ipse praescripsit secunda, quae vim vllam verbis inferri pro-
 hibet, nec latinarum modo vocum significationi sed Graecarum
 inprimis interpretationem accommodari iubet. Verum et rur-
 sum in eandem regulam impingit, interpretatione vocis *νεκρῶν*,
 quam certe mihi non facile adhibiturus videtur, qui pestem atque
 mortis imminentis metum velit significare, neque τῷ φόβῳ τῶν
νεκρῶν, qua phrasi explicat phrasin Apostolicam ὑπὲρ τῶν νεκρῶν
 facile dixerit quis, pro mortis imminentis a peste metu; alius enim
 metus mortuorum est, alius metus mortis vel a morte. Omnium
 minime in argumentatione aduersus hostes veritatis locum id ha-
 bere potest: nec existimandum tanti visum Apostolo Rhetoricum
 ornatum, quem in earundem occurso, ac sono quodam, et col-
 lisu vocum hic quaerit Harduinus, vt sermonis propterea ne-
 glecta perspicuitate genus dicendi plane inusitatum ado-
 ptaret. Nonne enim multo magis erat procliue dicere τί ποι-
 ῆσαι οἱ βαπτίζομενοι διὰ τὸν λοιμὸν, vel διὰ τὸν τῆς θανά-
 τος φόβον, vel si omnino Harduino adeo videatur necessarius vo-
 cum earundem concursus, διὰ τὰς ὑπὸ τῆς λοιμῆς νεκρῶς etc. §. X.

§. X. At et argumentatio Apostoli, quod iuxta VIII Regulam monendum, non nimis firmiter procedit ex mente Har-
duini. Si illum enim audiamus, ita argumentantem habebimus
Apostolum: Si mortui non resurgunt, stolide faciunt, qui pestis
tempore ob mortem imminentem baptizantur. Cuius proposi-
tionis nexum ita probaret; quoniam nulla causa esset cur bap-
tizarentur, finienda per mortem hac vita nisi eo sibi reuicturis futurae
vitae emolumenta parari possent. Annon respondisset Hymenae-
us: totum se concedere argumentum, perperam scilicet agere
eos, qui hoc fine in periculis baptizentur, ut suis corporibus ἐν
ἀναστάσει restituendis prospiciant, cum diserte ille finis et usus ba-
ptismo nunquam in eius institutione fuerit praefixus, qui ipse sit
resurrectio. Vel etiam negare poterat consequentiam Hymenae-
us, atque ad eius probationem respondere, imo vero in baptismo
tum maxime resurgere voluisse homines, ut noua vita, hacce per
baptismum resurrectione, inchoata, Deus permoueretur ad mor-
tem imminentem auertendam: quemadmodum et Niniuitae
depellendi exitii causa poenitentiae baptismum subierint, quo
etiam obtinuisse, ut seuerissima Deus Iudicia suspenderet, vi-
deantur.

§. XI. Iam de Ioannis Clerici dispiciendum sententia est.
Ille in verbis Pauli Praepositionem ὑπὲρ idem valere vult, quod
ἀντὶ, quod *vicem* alicuius notare triuiale existimat. Ne tamen
sine graui autoritate affirmare id videatur, ad Dionysii Halicarnas-
saei locum prouocat, en illum: ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων ἐν τῷ
πρὸς Ἀντιάτας πολέμῳ στρατιωτῶν ἠξίαν ἑτέρας καταγράφειν.
PRO MORTUIS, hoc est in locum mortuorum, *in bello
contra Antiatas, militibus statuerunt alios conscribere.* Ge-
minum plane illi locum Apostoli nostri esse censet τί ποιήσασιν
οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, esse enim horum sensum: si nul-
la esset resurrectio, quid fieret iis, qui quotidie, tametsi vident
Christianos propter fidem occidi, alacriter tamen baptismum sus-
cipiunt, ut in Ecclesia Christiana locum mortuorum suppleant.
Similique argumento Vir doctus probari posse militiam non esse
sine praemio existimat: Si nulla essent praemia militiae, cum tot
C
militos

Ant.. L. 3.
P. 553.

militēs quotidie occidantur, quid facerent illi, qui mortuis suffi-
ciuntur, et nomen militiae dant, vt mortuorum locum obtine-
ant?

§. XII. Equidem pro noua non venditat hanc senten-
tiam suam Vir κριτικώτα, dicit enim *eorum* sibi maxime
probari sententiam, qui ὑπὲρ hic idem esse velint, quod ἀντι:
adeoque videtur indicare, viae quam ipse sequitur Duces, sese
habere. Eos vero cum nos ignorare penitus non inuiti fatea-
mur, vitio nobis speramus haut vertet vel ipse Vir clarissimus,
vel alii quod ille nobis huius sententiae allegetur autor, cui tot
alia praeclara inuenta debemus. Cognata forsan videri posset
Tremellii interpretatio: qui ὑπὲρ explicat *praeter* hoc modo:
*Sed quid illud super mortuis? Illud continuationis siue transiti-
onis est, tanquam si diceret Paulus: Vbicunque fuit Euangelium,
plurimi obdormierunt in Christo hac fide, consilio & sine, etiam-
que in Ecclesia vestra vt modo ostendimus. Quod si sancti illi
Viri, qui haec tenus obiuerunt mortem, sua expectatione & fide de-
lusi sunt, quid ergo a superstitibus idem amplius agitur, cur ita
adhuc pergitur in Ecclesia, et qui nunc vivunt mortuos in eo-
dem officio persequuntur, si inania sunt omnia? Haec vocis
ὑπὲρ et super significatio Graecis et Latinis auribus non insolens,
sed de ea Grammatici viderint. Livius: super bellum annona
premente i. e. praeter, & sexcenta alia. Eadem B. Hulseman-
ni nostri visa quibusdam fuit sententia: Quae an cognata Cleri-
co festinanti suae visa fuerit nescio, eadem certe non est. Nisi
forsan, quod mihi probabilius, Vir doctissimus ea tantum ex
parte sese alios sequi profiteatur, qua ὑπὲρ aequipollere apud
Apostolum praepositioni ἀντι statuit: Certe enim hac ex parte
ὁμοψήφως habet omnes illos, qui Paulum respicere putauere ad
baptismum, quem viui pro mortuis, vel vice mortuorum, an-
tequam sacro illo lauacro tingerentur decedentium, suscipere
solebant: quod Marcionis inprimis sectatoribus tributum fuisse
constat ex Chrysofomo et Harmenopulo. At illi, quoad cetera
longissime a Clerico discedunt, vt adeo pro noua omnino ea
quam ipse proposuit sententia debeat haberi.*

§. XIII.

Vindic. p. 48.

§. 4.

§. XIII. Verum siue noua illa sit siue vetus, quid de ea nobis videatur, modeste nunc edisserendum. Primo itaque dubito, an satis conuenienter dici possit *baptismo* ad sacra religionis nostrae mysteria initiatos, succedere in locum eorum, qui antea decesserunt, quemadmodum nouus miles scribitur in locum variis mortis generibus extincti veteris. Certe enim, qui baptizatur, non vt suppleat locum decedentis, baptizari dici potest, pro quo etiam uiuo et superstite sacris istis initiari nihil eum prohiberet. Sicque adeo huic interpretationi obstare regula nostra septima videbitur. Indeque disparitas quaedam admittatur necesse est inter phrasin Dionysii et Apostoli. Deinde nescio an ideo quoque haec locutio locum habeat, quod non id agatur a suscipientibus baptismum praecise, vt loca defunctorum in Domino in Ecclesia militante compleant, sed vt suae salutis, quaecunque illa sit, consulant; qua ratione non contra VII tantum peccaretur regulam, quae argumentum peti iubet ex eo, quod indoli institutioni et scopo baptismi maxime est conueniens: Verum etiam contra VIII quodammodo, certe enim argumentum non feriret eos, qui dicerent, hoc fine se baptizatos non esse, vt vices martyrum supplerent, similibusq; cruciatibus ipsi etiam morti se redderent obnoxios, idque sibi praeter intentionem, ac quod in scholis dicitur per accidens euenire. Adeoque ab eo, quod non faciant ipsi, vel facere non intendant, argumentum haut posse peti contra ipsos. Forte itaque paulo aliter construendum argumentum, et quidem ita: Quid, faciunt illi, qui baptismum, quaecunque etiam intentione, suscipiunt, atque sic iisdem, quibus Martyres beate in Domino defuncti fati se exponunt, vt adeo phrasin βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν non intentionem sed euentum notet. At hac ratione habebimus argumentum plane geminum sequenti, *quid est, quod periculis mortibusque nos omnes quotidie sumus expositi?* Quod istamen argumentum luculenter distinguit a praecedente particula καὶ, quae superaddendi facultatem habet, atque praecedentibus id quoque, quod iam tum necitur argumentum, accedere indicat. Vt ta-

team, verosimile haut esse, in breui adeo et contentiosa disputatione idem bis repetiisse Apostolum.

Haer. 28. §. XIV. Ultima, quam hic examiuandam duximus sententia, non noua est, vt quam olim iam placuisse haut paucis ex Epiphanio constet, et post illa tempora approbasse autor Commentariorum, quae sub Ambrosii nomine habemus, Walefridus Strabo, Haymo, Anselmus, Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, Franciscus Titelmannus, Isidorus Clarius, Erasmus Rotodamus Caesar Baronius et alii videantur. Quemadmodum ex Reformatis quoque Zwinglius, Bullingerus, Hyperius, Martyr, Musculus, Camero, Deodatus, Schotanus, Iacobus Laurentius eam amplecti non dubitauerunt. Quibus accedunt magna in republica litteraria nomina, Scaliger in Epistolis duabus ad Thompsonum, Christophorus Iustellus in notis ad Canonem Ecclesiae vniuersae LVII, Hugo Grotius in annotationibus ad Consultationem Cassandri, et animaduersionibus pro notis hince, et Ludouicus Crocius in syntagmate Theologiae. Nec displicuit illa Danhauero nostro in Christeide, Mysteriorum et tractatu de idea boni interpretis, Calouio in Commentariis ad hunc locum, Calixto in tractatu de resurrectione, et Dreiero in disputatione de purgatorio, vt alios taceamus. At defendere haut ita pridem illam sententiam, nouisque ornamentis gratiam illi conciliare conati sunt ex Reformatis Vir doctissimus Io. Markius, & ex Polonis fratribus Samuel Przipcouius. Nempe omnibus illi aliis sententiis praefereendam eam esse statuunt, quae ad receptam aetatis suae praxin Paulum respicere existimat, quae ex nonnullorum instituto, baptismus a viuentibus suscipiebatur seu loco seu simpliciter bono defunctorum. Quam tamen Helenam suam vt pingant denuo atque ornent diuersas imo aduersas plane vias inire Viris Doctissimis visum fuit, Przipcouio vel errorem tolerabilem, vel errorem plane non fuisse illum pro mortuis baptismum defendente, Markio pro superstizioso et ab Haereticis vsurpato quidem habente illum, Apostolum tamen salua veritate argumentum κατ' ἀνθρώπων ex eo desumere potuisse existimante.

§, XV.

Christ. p. 446.
Mysterios. p.
365. de Id. p.
144 §. 15.

§. XV. Antequam vero ad specialem vtriusque sententiae deueniamus discussionem, praeiudicialis, vt voce ICtorum vtamur, erit examinanda quaestio, an huiusmodi baptismum pro mortuis in prima Ecclesia vsitatum fuisse, vlllo idoneo probari valeat argumento. Id enim si fieri nequeat precaria certe erit certitudo sententiae, quae aliquid respexisse Apostolum, quod eo tempore vsitatum fuisse haut constet affirmauerit. In more vero illo ex antiquitatibus Ecclesiasticis deducendo non multum sibi operae ponendum esse existimauit Przipcouius, sufficere sibi existimans affirmasse, *quod non defuerint in Ecclesia, qui pro mortuis hoc est loco et vice mortuorum baptizarentur.* Diligentior ea ex parte Cl. Markius extitit. Cui primi argumenti loco ipsum Apostoli locum, de quo nobis sermo est, adducere placuit. *Ille enim, inquit, secundum primum et clarissimum verborum sensum diferte illud tradit.* At nescio, an hac ratione petitionem principii non comittat vir doctissimus, hunc enim primum et clarissimum verborum Apostoli sensum esse negabunt, quibus alia placet quam ipsi sententia. Quod enim addit maiorem viris Θεοπνεύσις notam inuri non posse, quam si fides ipsorum ab hominum simili traditione suspendatur, aut saepius repetita narratione aut fallente probabilitatis specie: nec minus propterea firmi mereri Herodis infanticidium, stellam Magis praelucentem aliaque ἀπαξ λεγόμενα, quod aliorum scriptorum testimonio destituantur; id omne vtraque manu nos concedimus, etiam vbi de hominibus minime Θεοπνεύσις sermo est: verum huic loco minus opportuna illa esse existimamus. In istis enim quidem postquam de sensu verborum constiterit indubitate, tale quid dicere voluisse scriptorem intelligimus, quod alio quidem suffragio muniatur nullo, sed ab eo solo obseruetur. Hic vero, vbi de sensu verborum sub iudice adhuc lis est, argumentum petere pro decidenda quaestione facti ex verbis forte non recte intellectis, et ex ipso isto facto verba postea explicare, quod pace Viti doctissimi dixerim, non tantum est principii petitionem, sed et circulum in argumentando committere.

§. XVI. Quae vero iungit illi argumenta alia duo, alterum

desumptum ab eo, quod aliis grauisissimis erroribus eo tempore laborauerit Ecclesia Corinthiaca, vt ex ipsis Pauli ad eam epistolis pateat, vt impossibile a deo non sit, hoc quoque eam fuisse contaminatam: Alterum ab eo, quod facilis oppido sit in talem errorem prolapsus, quandoquidem nihil magis homini sit familiare, quam amore ferri in defunctos, ad eos iuuandos, sibi que non ad suam tantum, sed et aliorum salutem tribuere efficaciam, quod videre liceat in gentilium sacrificiis, eorum pro mortuis suffragiis, ac maiorum commendatitiis precibus; eorum vtrumque tale est, vt in quaestione facti, qualis haec nostra est, exiguam vim obtinere queat, in quibus argumentum ab eo, quod potest esse, ad id, quod factum reuera est, nunquam admittitur, sed vnicum relinquitur cognoscendi principium, quod fidem mereatur testimonium.

§. XVII. Verum nec eo destitui vult videri Vir doctissimus. Sane enim exploratum esse Seculo post Christum natum secundo inter Marcionitas receptum pro mortuis fuisse baptismum. Verum ponamus de Marcione certo constare pro mortuis viuos eum baptizari instituisse, an vero ex eo, quod institutum primum fuit a Marcione, cuius aetas in Hadriani et Antonini Pii tempora doctissimis nostri aevi Chronologis Pearsono et Dodwello ostendentibus, incidit, ad aetatis apostolicae mores nobis licebit argumentari. Imo vero inquit Marckius, multa ex Simonis schola habuit Marcion, atque adeo baptismum quoque fortassis illum pro mortuis. Ast vnde est quaeso, quod nemo vnquam veterum etiam, vbi copiosissime de Simone agunt, hunc eius errorem commemorauerint? Vnde est, quod hi ipsi, qui ad talem superstitionem trahere conabantur Pauli locum, Simonem non potius quam Marcionem nominauerint? Praeterea nec constat satis, an Marcionitistalis baptismus vsu fuerit receptus. Certe enim Chrysostomi solius auctoritatem hic agnoscere verentur Viri docti; Tertulliani vero loca in eam rem vulgo allegari solita ex Libro de resurrectione et quinto contra Marcionem, rem non euincere, dudum iidem ostendere. Nec firmiter rem probare, quem Vir summus Sebastianus Schmidius ex libro IV contra Marcionem adduxit locum, vbi Marcion dicitur *baptismum morti vel repudio ser-*
uare

Pearson. Viñd.
Ignat. P. II. p.
m. 372. et Dis-
sert. II. de Suc-
ces. R. Pontif.
c. 8. Dodvv. in
additam. p.
245. et Dissert.
III. in Iren.
§. 13.

c. 48.
c. 10.
c. 9. 10.
c. 11.

vare, solide monstravit summe Reuerendus Ittigius noster, qui sensum illius loci hunc esse indicauit: Marcionem in coniugio viuentibus ad baptismum non admittere, adeoque morti vel repudio baptismum seruare, hoc est eos, qui semel coniuges essent facti non baptizare nisi vel mortuo coniuge vel per ἀποστάσιον dimisso coelibatui fuerint restituti. Firmat id Vir doctissimus ex loco parallelo ex Libro primo aduersus Marcionem: *non tingitur apud illum caro nisi virgo, nisi vidua, nisi coelebs, nisi diuortio baptismum mercata.* Imo ipse contextus loci, quem B. Schmidius allegauerat, id firmat: dicit enim in praecedentibus Tertullianus, *neminem tingi a Marcione, nisi coelibem aut spadonem*, postea vero eos, qui tales non fuerint, nullam baptismi spem habere dicit, nisi quam *mors vel repudium* ipsis reliquerit, quorum scilicet alterutrum coelibatus priuilegium ipsis reddere valeret. Tertullianus itaque nihil hic Marcioni tribuit, quem tamen pariter ac ceteros antiquos Patres omnes, hunc Marcionis naeuum dissimulasse nemo sibi facile persuadeat. Concedam, inquit Markius, attamen quorumcunque fuerit ille pro mortuis baptismus, viguit saltem in Ecclesia Tertulliani aeuo, eius enim diserte mentionem in libro de resurrectione fecit, et quinto contra Marcionem. Hoc vero etiam fateor, meminit; sed meminit eis ipsis locis, quibus ob oculos habet Paulinum, de quo agimus, dictum, quod parum dextre interpretatus, Apostolicis temporibus, qui talem baptismum exererent, extitisse supponit. Inde neminem habet, quem ex illa haeresi nominet. Imo quod imprimis notari velim, non tanquam certam proponit hanc ipsam sententiam suam, sed subdubitans, nullum aliud eius fundamentum se habere luculenter innuens, nisi istam, quam locus Apostolicus sibi fecerat, suspicionem. Certe ita loquitur in libro de resurrectione: *Si autem quidam baptizantur pro mortuis (videbimus an ratione) certe illa praesumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni, ut vicarium baptismum profuturum existimarent, ad spem resurrectionis, quae nisi corporalis non alias hic baptismate corporali obligaretur.* Quae verba Africani styli tenebris obscurissima si paucis explicuerimus non sine ratione nos paulo ante dicta effutisse patebit. Nempe geminam

De Haeres.
 Sec. II. Sect.
 II. c. VII. §. 17.

c. 29.

nam

c. X.

nam Tertullianus habebat ob oculos phrascos : βαπτίζεσθ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν interpretationem ; altera ea fuit, quam Markius sequitur ; altera, qua putabat, eam significare baptismum propter carnem, propter corpus et in corpore suscipere ; ut νεκροὶ ipsi sint corpus, quod tingitur aqua baptismi. Posteriores hanc sententiam luculenter proponit et tuetur in libro V ad versus Marcionem, ubi reijcit sententiam priorem, quae Apostolum respicere dicit ad supersticiosum pro mortuis baptismum : *Noli inquit Apostolum novum statim auctorem aut confirmatorem eius denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi unius baptismi definitorem. Igitur et pro mortuis tingui est PRO CORPORIBVS tingui ; MORTVVM ENIM CORPVS ostendimus.* Iam itaque in libro de resurrectione, istud fidei Christianae mysterium ex loco Apostolico firmaturus, dicit baptismum pro mortuis, quomodocunque illum interpreteris, solide resurrectionem probare. Si enim quidam baptizentur pro mortuis, (quod non affirmat Tertullianus, sed in medio relinquit, an iure tamen id fieri possit, deinceps se examinaturum dicit) certe eandem ob causam id eos necessario facere, ob quam alii CARNI, baptizentur, hoc est PRO CORPORIBVS (sic enim Graeco idiotismo dative saepe *finem cui*, ut in scholis loquimur, significat), corporalem enim utrosque baptismum subire, atque adeo illo spem resuscitandorum corporum profiteri : Ut proinde siue baptismum pro mortuis interpretere eum, qui in gratiam vita functorum suscipiatur, qualem in usu fuisse Tertullianus neutiquam affirmat, multo minus ad eum ab Apostolo respici dicit ; siue baptismum PRO CORPORIBVS, quod diserte probat, optime tamen procedere argumentum Apostoli euincat. Similiter ex altero Tertulliani loco nullum pro more illo baptizandi pro vita functis, siue Apostolorum siue Tertulliani aeuo, elici testimonium. En illum : *Quid ait (Apostolus) facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt ? Viderit institutio ista, Kalendae si forte februariae respondebunt illi pro mortuis petere.* Vbi ante omnia moneo, suspectam mihi esse vocem *petere*, forte ex abbreviata

Adu. Marcion.
L. V. c. 10.

viata

viata vocem *baptizare* scribendi ratione illa nata fuit : quo ad-
 missio in proclivi sensus : nempe : si ei , quod Apostolus innuit
 per phrasin *baptizare pro mortuis* respondent Kalendae Februariarum,
 quibus gentiles pro mortuis officio defungebantur , viderit insti-
 tutio ista quomodo se tueatur. Si tamen *petere* retinendum, ae-
 qui pollere dicerem τῶν *baptizari*, quoniam qui pro mortuis ba-
 ptizabantur , hoc ipso aliquid pro iis *petebant*, fierique ad solen-
 nes gentilibus phrasas *petere* et *poscere februa* allusionem. Hac
 igitur ratione patet, nullum firmum testimonium ex Tertulliano
 peti posse, quo vel Apostolico vel suo aevo, siue inter Marcio-
 nitas, siue alios quoscunque ritum baptismum pro defunctis susci-
 piendi vsitatum fuisse probetur. Cumque adeo nemo plane veterum
 qui ex instituto Marcionis errores recensuere, huius instituti ipsi-
 vs mentionem fecerit, facile patet, quid de Chrysostomi testi-
 monio, quod coeco obsequio amplexi Theophylactus et Constan-
 tinus Harmenopolus fuere, sit statuendum, qui eloquentia magis
 quam rerum se multo antiquiorum cognitione celebritatem no-
 minis fuit indeptus. Sed in Cerintho adhuc, vt moris huius ve-
 stigia in primaeva ostendat Ecclesia, aliquid Viro celeberrimo
 praesidii superest. De eius enim secta diserte Epiphanius testa-
 tur, si aliqui ante baptismum in ea decedant, ἄλλως ἀντ' αὐτῶν
 εἰς ὄνομα αὐτῶν βαπτίζεσθαι, *alios in vicem illorum vel nomi-
 ne ipsorum baptizari.* Verum hanc ipsam traditionem suam ob-
 scuro et incertissimo rumore niti, ne ipse quidem dissimulat Epi-
 phanius, ab eis haut dubie, qui meliorem verbis Pauli sensum
 inueniri posse desperarent, profecto.

C. 12.

Haer. 28.

§. XVIII. Verum satis de *praeiudicali*, quam diximus,
 quaestione. Id quod cum maxime contra sententiam a Viro
 doctissimo denuo defensam vrgeri solet ab omnibus, quotquot
 in alias sententias discessere, quomodo removeat, paucis videam-
 us. Nempe a moribus improbis, superstitionis, nullo funda-
 mento subnixis Apostolum argumentum sumsisse, oppido eis vi-
 detur inconueniens. Contra haec vero excipit Vir doctissimus:
*Dum alia praecesserunt, dum ipsius Dei reuelationibus fides hic
 omnino nititur : dum a Saluatoris, capitis, Domini resurrectione
 primo eam arcessit, nihil obstat, quo minus inter alia argumen-*

D

tA

ra et hoc ad hominem, ut vocant, utatur. Verum inuertere hoc argumentum haud forsan immerito possemus. Cum solida scilicet adeo et firma argumenta, suppeterent, ad tale, quod falsa imo inepta persuasione niteretur, confugere, a prudentia Apostolica videtur alienum. Sed non inusitatum, inquit Vir doctissimus, diuinis Scriptoribus illud argumentandi genus. *Sic prudentiam Christianam Saluator ex Oeconomi iniustitia elicit.* At, quod pace eius dixerim, plane id exemplum rei, de qua agitur, est dissimile. Non enim hic ex falso praesupposito conclusio infertur, sed a simili procedit argumentatio; Sicut mundani homines, dum fauet occasio, omnes animi neruos intendunt, ut conseruationi suae prospiciant; ita filiis lucis hoc maiorem curam esse impendendam, ut solida et vera emolumenta sua procurent. Nec felicior est in eo, quod *simile quid facere Esaiam* putat, qui *obedientiam Deo debitam a profanarum gentium idololatria deducat.* Certe enim, licet concedam, quod non necesse est, per **□** *populum* gentes profanas, non ipsum populum Israelis intelligi, hoc tamen negari non poterit, proponi rem, quae recte se habeat in se, vitium tamen adhaerens habeat. Nempe ut populus Deum suum interroget potius quam mortuos bene se habet, quod verum Deum non colat, id ex vitio est ipsius. Argumentatio autem non ex eo hic procedit, quod est in vitio, verum ex eo, quod rectum est: certe enim id reprehendi non potest, ut quemcunque populus aliquis credat Deum, eum potius quam mortuos consulat. Multo minus in ceteris, quae Vir doctus congerit, aliqua cum argumento Apostoli, quod ille hic statuit, aliqua intercedit analogia. Certe enim Paulus neque Rom. II, III. damnabilitatem nostram et Dei gratiam ex multiplici omnium Rom. VI, 19. impietate illustrans, nec pietatis zelum et seruitutem peccati Rom. XI, 27. aut Dei iustitiam et hominum incredulitatem sibi opponens in- Act. IV, II. vicem, nec gloriam Christi in reiectione Iudaeorum ostendens, conclusionem deducit ex falsa sententia, vel ritu absurdo, sed tamen recepto. Verum (vel a pari, vel a minore ad maius, vel ab antecedente ad consequens argumentatur, vel opposita ponit iuxta se inuicem. Praeterea omnino illo argumento ad homi- men

Luc. XVI, 8.


VIII, 19.

Rom. II, III.

Rom. VI, 19.

Rom. XI, 27.

Act. IV, II.



nēm non opus fuisse apud fideles, quibus inscripta haec epistola fuit, videtur. Si vero, quod putat Vir clarissimus, id egit Apostolus, vt ipsis suppeditet modum, proprio adversarios conficiendi gladio; certe requirere prudentia etiam communis videbatur, vt ne argumentum hoc reliquis, ex solidis procedentibus principiis, sine vlla distinctionis nota misceretur, quod certe et perturbationi bene sentientium, et *ἑτεροδοξων* peruersitati poterat suppeditare occasionem: quemadmodum Marcionitas, hunc ipsum baptizandi pro mortuis viuos errorem, isto Apostoli loco firmasse Chrysostomus existimauit.

§. XIX. Cumque adeo omni eruditione sua Vir doctissimus, nobis quidem nondum, quod ingenue sentimus, nullo *ἐνθολκῆς* studio ducti, persuaserit, contra Regularum bonae interpretationis a nobis propositarum III, V, VII, et IX, sententiam ipsius non pugnare; opus esse haut existimo, vt de commodis, quae hanc sententiam habere existimat, prolixius disseram. Si enim obstacula ea habeat satis valida, quae aliam sententiam non premant, cui omnia ista commoda non minus competant, imo forte etiam maiora; alteram illam sententiam praefendam esse, nemo paulo aequior iudex facile dubitabit.

§. XX. Superest, vt de Samuelis Przipcouii commentis paucis denique dispiciamus. Ille itaque vt facilius persuadeat, nil aliud hic quam baptismum vice mortuorum susceptum esse intelligendum, eorumque argumento, qui indignum Apostolo iudicant ex errore ducere argumentum, satisfaciat, hunc ipsum pro mortuis baptismum nihil vitii habere defendit, Hugonis Grotii, vt puto, insistens vestigiis. *Nolim enim, inquit ille contra Riuetum, credat Riuetus Apostolos argumentum sumsisse a moribus improbis, minime id conueniebat ei Spiritui, per quem ducebantur.* At viam se inuenisse magis expeditam purat Przipcouius, qua ostendat improbum illum morem minime fuisse. *Poterat, inquit, ceremonia ista esse in Ecclesia absque vilo errore, hoc est absque illa opinione, quod mortuis post fata illorum prosit aliena pietas. Baptismus enim aquae est externum et quasi ceremoniale signum, quod aliquis ad populum*

Christi adiunctus sit, quod ipsum per se et nude, absque ea, cuius externum est signum, hoc est vera et reali ad Christi populum accessione, quae fit per regenerationem, baptizato non prodest. Natura tamen sua etiam ita consideratum illud signum aedificationi Ecclesiae prodest, cuius oculis palam fit, populum Christi incremento suo augeri, et exemplo eorum, qui per hoc externum signum ad Ecclesiam accessisse perhibebantur, poterant multi alii ad idem faciendum inuitari. Verum an baptismus salua institutione adhiberi possit in viuo, vt signum tantum sit, mortuum in Ecclesiae communiōe decessisse, Theologi viderint. Nec video, quid opus Ecclesiis ioculari illo baptismo fuerit, cum ex eo satis quod coetus Christianorum frequentaverit, quod pia simplicitate Euangelium amplexus fuerit, quod fructus fidei ostenderit aliquis, prima ista Ecclesiae aetate, qua noscebant se inuicem facile ἐν ταῖς κατ' οἶκον ἐκκλησίας congregati Christiani, affatim constare potuerit, in Ecclesiae communiōe aliquem diem obiisse. Saltem tale quid vſitatum ea aetate fuisse, idonea ratione nulla poterit probari, vt adeo contra Regularum a nobis propositarum VII. pariter ac V. peccasse illa Przipcouii interpretatio videatur.

§. XXI. Superest, vt quod nobis in tanta sententiarum varietate probabilissimum videatur paucis edisseramus. Verba itaque τί ποιήσουσιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν simplicissime vertimus, quid facient illi, qui baptizantur pro mortuis? Intelligimus autem per baptismum, eum qui proprie sic dicitur, Sacramentum scilicet nostrae initiationis. Per τῶν νεκρῶν intelligimus Iesum Christum pro nobis mortuum. Βαπτίζεσθαι vero ὑπὲρ τῶν νεκρῶν erit baptizari propter Iesum Christum, vt nomen eius et professionem suscipiamus, et beneficiorum eius reddamur participes, Nec nulla vel ita quoque vis erit, quam video magnopere vrgere nonnullos, articuli οἱ. Sensus scilicet est, quid facient, quotquot baptizantur in nomine Iesu Christi, vel hi ipsi, qui per baptismum initiari se sacris religionis nostrae patiuntur?

§. XXII. Hanc sententiam vt tanquam probabilissimam persuadeamus, impedimenta ante omnia sunt remouenda, quae

re-


remorari assensum poterant videri. Maximum esse videtur pluralis numerus in voce νεκρῶν. At quid illa in sacris numeri ἐναλλαγή frequentius? Sic de Herode, qui modo occubuerat, Matthaeus Evangelista: τεθνήκασιν οἱ ζητούντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδὸς Mortui sunt, qui insidiabantur vitae pueri. Sic Esaias Messiam בְּמִוְתוֹ in mortibus suis h. e. in morte sua positum fuisse cum diuitibus ait, emphasin et sermonis secutus sublimitatem. Cui minime dissimile id, quod habet Apostolus, qui νεκρῶς Christum dicit, qui morte obierit, maxime ut ita loquar lethali, qui ita sit mortuus ut nemo magis. Simili ratione in epistola ad Hebraeos Sanctuarium coeleste κρείττοσι θυσίαις sanctificari dicitur, hoc est sacrificio Christi, cuius certe reiterationem et multiplicationem, male fecerit quicumque ex hoc loco voluerit colligere. Ὑπὲρ τῶν νεκρῶν igitur, hoc est ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ βαπτίζεσθαι idem est ac εἰς αὐτὸν in ipsum, vel propter ipsum, vel in nomine ipsius baptizari.

Matth. II.

Es. LIII.

Hebr. IX¹, 22.

§. XXIII. Suspicionem eius rei aliquam facere poterat, quod Apostolus cum emphasi addit εἰ ὅλως οἱ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, si mortui omnino nulli resurgunt, quod esse poterat indicio non quosuis mortuos eum respicere, sed quosdam vel aliquem ex illis eximium, a quo argumentum ducat. Planissime autem illam coniecturam firmatam habebimus, si toti orationis Apostolicae nexui paulisper attendamus. Nempe generale Apostoli argumentum desumptum est a resurrectione Christi, quod variis deinde προσλήμμασι fortius vrget, atque ita conclusionem suam plane inuictam reddere conatur. Proponit generale suum argumentum commate XII. verbis planissimis: Si Christum annunciamus ex mortuis resuscitatum, quomodo mortuorum resurrectionem vestrum nonnulli negant? Si mortui enim non resurgunt, Christum quoque non resurgere necesse est, ut qui mortuus reuera sit. Consequens istud absurdum esse, iam porro ostendit Apostolus, Primo quidem ex eo, quod, si illud admittatur doctrina Evangelii quae contrarium doceat, mera futura sit impostura, quae tamen virtute diuina et tot miraculis sit confirmata com. XIV. XV. XVI. Secundo consequentis huius absurditatem ostendit ex eo, quod sic vana sit futura fides nostra, quod ex praecedentibus luculen-



ter consequitur com. XVII. *Tertio* inde, quod hac ratione plane actum sit de credentibus, nullaque *spes* eorum existat, hanc enim futurorum esse, spem autem futurorum vnice resurrectione Christi niti, quam ob causam, diligentissime nexus spei nostrae et vitae futurae, cum resurrectione Christi ostenditur com. XIX-XXIX. Inde *quarto* irritum quoque et nullum *baptismum* nostrum fore ostenditur, si Christus non resurrexerit; quid profit enim propter mortuum in gratiam et in nomine mortui baptizari? Atque huc spectat istud *εἰ ὅλως νεκροὶ ἔκ ἀναστήσονται*. H. e. si valeat quam ex absoluto negata resurrectione mortuorum deduximus consequentia, ut ne ipse quidem Christus resurrexisse dicatur: quid predest, si omnino mortui non resurgant, et nec ille resurrexisse quoque dicatur, nomen Mortuorum in S. baptismo suscipere? Denique *quinto* si Christus non resurgat, frustra quoque esse *παθήματα* et *afflictiones*, quas pro eo subeant fideles testes eius, frustra quoque adeo se *θρηνομαχῆσαι* (hoc est *paratissimum* fuisse, ut bestiis obiiciatur, quippe qui in eo fuerit, ut in *θέατρον* in quo ad horrendum istud spectaculum vel condemnaretur, vel reapse produceretur, se coniceret.) Imo et adhuc quotidie *mori* se ait, hoc est *ad moriendum paratum* esse, quod ita se habere iurat per illam, quam habet in Iesu Christo gloriae expectationem, a quo scilicet a mortuis resuscitato praemium laborum expectet. Cui vero bono hoc inquit facerem, si mortuus esset Christus, si e mortuis non fuisset resuscitatus? Si ita res se haberet, edendum esse et bibendum, mox enim occidere breuem lucem, indeque noctem esse perpetuam vniam dormiendam.

Λα. XIX.

§. XXIV. Sic mihi tota igitur videtur Apostoli argumentatio Christo eiusque resurrectione inniti, ut omnia ad istud caput tanquam centrum redire videantur, huiusque adeo etiam *οἰκοδομῆς* fundamentum, imo *λίθος ἀκρογωνιαίος* sit Iesus Christus. Quo certe admissio, non exiguam lucem et tota oratio, et robur nostra explicatio BAPTISMI PRO MORTUIS accipiet, cui nullam non ex regulis Philologicis sub initium propositis applicari posse, facile Lectores cordatiores, pro sua aequitate iudicaturos confido.

* * * * *

